
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


VE
RI
TAS

Observationes criticae in Lucianum

scripsit

Dr. Fr. Paetzolt.

434

Beilage

zum Programm der Königlichen Ritterakademie


zu Liegnitz.

Liegnitz.

Druck von H. Krumbhaar.

1880.

1880. Progr. No. 163.


HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY.

Luciani scripta quicumque legit ac relegit, ingentem ingenii eruditionem, eximiam doctrinae copiam, salsas urbanasque facetias, nitidam profecto ac fere atticam dictionem barbari hominis quo magis admiratur iisque iterum atque iterum oblectatur, eo vehementius haec scripta non tantum non omni ex parte integra ac sincera sed temporum hominumque culpa maximo opere deturpata vitiisque infecta vel aliis iisque priorum saeculorum scriptis propemodum corruptiora ad nostram aetatem pervenisse dolebit. Quare cum antea iam viri docti, quantum poterant, vitia Luciani libellis eximere et locos inquinatos purgare intricatosque expedire conarentur, hoc nostro potissimum saeculo studia Lucianea admodum promota sunt et amplificata eorum labore, qui et summam operam ac diligentiam impenderent libris manu scriptis accuratissime excutiendis aut adhuc omnino ignotis aut male collatis et ipsorum ingenium secuti perversos locos iam plurimos ex errorum mendorumque caligine eriperent ac praeclare illustrarent. Quorum studio ac sollertia factum est, ut his sex lustris novae in lucem prodirent editiones Lucianeae, quibus quae scripta comprehenduntur, etiamsi — id quod ipsi fatentur editores — nondum prorsus integra leguntur, tamen optime procurata et restituta iam auctoris ubique ingenium redolent et maximum animi praebent oblectamentum.

Iam vero si ego quoque, quaecunque observavi Luciani scripta et genuina et eiusdem nomine insignita assidue pertractans ac perscrutans, publici iuris fecero, permulta eorum fore non nescio, quae a viris doctis aut minus probentur aut prorsus reiciantur. Quod si omnino aliquid contulero ad Lucia-

num vitiorum copia liberandum, quantulumcumque erit, maximo opere gaudebo neque unquam datae operae me poenitebit.

Ordo autem disputationis meae is erit, ut primum quidem de iis locis disseram, qui additamentis ab aliena manu seu consilio seu casu insertis impediti videantur, deinde de iis, quibus scribarios vel litterarum similitudine vel alia causa adductos aliquid dempsisse arbitrer. Tertio loco de transpositionibus verborum sententiarumve exponam; extremo denique nonnullis aliis scripturae vitiis mederi conabor.

I.

Lucianus *a correctore quodam dedita opera recensitus esse videtur* (cf. Fritzsch. in praef. edit. II 2. pag. VIII), qui et aliorum glossemata in textum recipiens et ex ipsius mente haud pauca immiscens elegantem Luciani rationem dicendi persaepe turpiter deformavit. Quo multo ante codicum nostrorum originem facto, inchoatum opus semper erant qui stolide continuarent labemque illam augerent. Huiusce modi emblematum ut nonnulla adferam exempla, recte Dindorfius Pro imag. 19. eiecit *ὁ Γλαῦκος* et Fritzschius Alex. 9. *ἀληθές* et Sommerbrodtius (Lucian. pg. 156) Hermot. 62. *ἀκαριαῖον* et Madvigius (Adv. crit. I pg. 703) Dial. meretr. XV 3. *μισθοφοράν* et Cobetus (Var. Lect. pg. 110) Dial. mort. VIII 1. *πυνθάνῃ* et v. Herwerdenius (Plutarchea et Lucianea cum nova Marciani codicis collatione Trai. ad Rhen. 1877 pg. 79)[1]) Adv. indoct. 6. *οἱ*

[1]) v. H. in tertia libelli sui parte licet multas proposuerit sagaces subtilesque coniecturas (de quibus disseruit Wichmannus Zeitschr. f. Gymnasialwesen 1879) mira tamen vixque defendenda socordia omnia fere neglexit, quae ante ipsum ab aliis collata sunt atque inventa ad Lucianum emendandum. Unde venit, ut sexcenties acta agens ab aliis iam dudum coniecta quasi de suo iterum protulerit. Madvigium quod non ubique inspexit — est enim ubi eum commemoraverit, Parasiti 49. locum emendans, de quo infra disserendum erit coniecturamque καταισχυνῶν ad Tyrannicid. 8. quod denuo proposuit, fortasse excuses; at coniecturas Lucianeas in lucem editurus si quis Fritzschium unum optime de hoc scriptore meritum plane neglegit, vix eum opprobrio liberes. Quam editionem si evolvisset, hos locos quomodo sanari vult,

πόδες δή. Quotquot autem loci eodem morbo laborantes iam sanati sunt, tamen frequentia, opinor, eiusmodi additamenta in

eodem modo iam sanatos vidisset vel a Fritzschio vel ab aliis: Alex. 14. verba δὶς τεχθένθ' sqq. versum efficere iamdudum Fritzschius sensit; ib. 27. καὶ κακῶς ἀπήλλαξεν coniectura Gesneri et Seageri est a Fritzschio refutata. Prometh. 13. ἐπανάστασιν et ib. 14. ἀκαλλῆ a Fritzschio proposita sunt. Idem ante H. Dial. mort. X 13. ἡμεῖς uncis inclusit codicem Vatic. 87 secutus et De mort. Peregr. 28. articulum τοῖς ante vocem πολλοῖς delevit. Dial. deor. XXVI 2. ἀεί, quod Herw. pro δεῖ corrigi jubet, in codice Vatic. 87 invenitur sed a Fritzschio plane ineptum appellatur. Dial. mar. IX 2. θάμβει iam dudum a Lennepio coniectum probante Belino nunc legitur in codd. Vatic. 87 et Guelf. F et Marciano 434 a Sommerbrodtio excusso; ubi quo casu acciderit, ut Herwerdenium, qui prae aliis accuratissime codicis scripturas eruisse sibi videtur, haec vox fugeret, maxime miror. Philops. 31. σκοτεινὴν τοῦ pro σκοτεινοῦ ante H. et ab Halmio est coniectum et a Fritzschio. Bis accus. 32. Herwerdenii coniectura ἔχων ἔτι εἰπεῖν simillima est Fritzschianae ἔτι ἔχων εἰπεῖν. Necyom. 2. πάνυ τι pro πάντη Dindorfius invenit, recepit Fritzschius. Eadem ex editione Herwerdenio cognoscere licuit Navig. 4. Schwidopium (observ. Luc. IV pag. 28) correxisse ἦ εἰ ἐθέλεις, Fritzschium improbasse. Ib. 28. Fr. coniecturam Herwerdenii μετ' ὀλίγον iam acu tangit, cum dicat: *κατ' ὀλίγον defendi potest nec videtur mutandum esse, etsi non minus usitatum est μετ' ὀλίγον.* Conviv. 20. in codd. Gorl. et Oxon. legi γεγεννημένοις Fritzschii adnotatio docet; ib. 48. Fritzschiana editione collata H. se nihil novi repperisse intellexisset ἀπράγμονα proponens pro ἄπρακτον. Ne de eo loquar, quod editiones iam ante Jacobitianas fere omnes ἀπράγμονα illud exhibeant, optime, opinor, Fritzschius facetam ironiam perspexit vocis ἄπρακτον: *ironice,* inquit, *Lucianus de semet ipso detrahit otioso, qui philosophando operam perdat. Ut enim ἀπράγμων in laude positum est, ita ἄπρακτος semper est in vitio.* Fugit. 7. ἐμπλήσειαν pro tradito verbi coniunctivo a Bekkero substitutum a Fritzschio probatur, quamquam non in textu ponitur. Hermot. 7. ταὐτά τι εἶναι coniectura est Seageri Fritzschio displicens.

Sed de Fritzschii editione hactenus. Iam videamus, alios viros doctissimos meritosque optime de scriptore nostro quanti fecerit H. Qui suspectum sibi videri dicit Adv. indoct. 7. ὁ Θερσίτης, quod iam Sommerbrodtius in editione priore et codicis Gorl. fide fretus et Bekkerum secutus omisit. Quod vero Luc. 32. legi vult ἀπολακτίσας ἵεται δρόμῳ, inde elucet eum Jacobitii editionem anno 1872 excussam neglexisse, quae hanc Burmeisteri coniecturam perversae vocis ἵκεται loco exhibet. Omnino autem Lucianum adgressus emendandum H. alia editione usus esse videtur nulla, nisi quacum se contulisse codicem

Luciani libris adhuc remansere. Qualia quae ego quidem deprehendisse mihi videor, nunc expromantur.

Marcianum initio dicit opusculi sui, Teubnerianam anni 1852. Ac ne eiusdem Jacobitii quidem editionem cum critico apparatu instructam adscivit, quae quantumvis absit, ut omnes omnium codicum lectiones praebeat, tamen in multis Luciani libris non est despicienda. Qua neglecta accidit, ut Toxar. 51. — quem dialogum ceteroquin compluribus exornavit coniecturis elegantibus — vulgatam lectionem, quae illic diserte excussa est, ἐς (ipse scribit εἰς) Εὐβίοτον pro ὡς Εὐβ. proponat quasi ipsius ingenio debendam, et ut ib. 56. voci νομοτεθοῦντι vocem substitui iubeat νουτεθοῦντι, quam codicis Gorl. lectionem esse idem testatur Jacobitius. Ex cuius adnotatione libelli De luct. cp. 1. porro cognoveris emendationem ab H. propositam οὓς (pro οἷς) ὀδύρονται vulgatae esse codicum Vindob. B et Guelf. F fide stabilitam. Quod Demosth. laud. 27. H. corrigit παρατρέψας pro περιτρέψας, Gesneri esse ibidem videre licet.

At Germanorum studia fortasse consilio praetermisit Batavus, Batavos conferas. Iov. trag. 37. H. pro μετὰ δαῖτα scribi vult κατὰ δαῖτα, quae mutatio a Cobeto (Var. Lect. pag. 110) editur exemplisque illustratur. Qui De morte Peregr. 13. (Var. Lect. pag. 208) auctor est lectionis ἔμβραχυ. Nec non Saturn. 10. futura παρανομήσετε et παρακούσεσθε ab H. commendata iam a Cobeto (Var. Lect. pag. 108) laudantur. Quid denique de Batavi diligentia iudicabis, si vel ipsum Hemsterhusium ab eo videris neglegenter collatum? In Prometh in verb. cp. 7. enim H. primus perspexisse sibi videtur vocem κλεπτικῆς corruptam esse mutandamque aut in κλέπτης aut in κλεπτικός. Huius coniecturae auctor est Hemsterhusius, illius Elsnerus, id quod in Fritzschii adnotatione loci diserte expositum apparet. Dial. mar. VI 3. autem coniecturam ποιήσω ab H. propositam Hemsterhusii esse hodieque optimis libris firmari idem editor animadvertit.

Accedit quod non ita pauci loci aut minus accurate aut falso citantur ut pag. 71: De paras. (deest numerus capitis 33.) pg. 72. legitur Somn. 18 (legend. 19.) pg. 73. legitur 10 v. m. (leg. Scyth. 10.) pg. 79. legitur Bis acc. 8 (leg. 4.) pg. 79. legitur Bacch. 8 (leg. Hercul. 8.) pg. 80. ante verba: v. f. ὁ Εὔκριτος deest: VI 4, pg. 80. legitur Dial. meretr. VIII 3 (legend. VII 3.) pag. 80. legitur § 5. (legend. IX 5.). Sed omnes enumerare longum est. Unum autem idque luculentissimum incuriae licentiaeque specimen quin in lucem producam, facere non possum. Ipsum audiamus loquentem (pag. 74.): *Est alicubi*, inquit *aput Lucianum locus, quem nunc frustra quaero, ubi legitur formula* ὥσπερ ἐκ μέθης ἀνανήφειν. *Quem locum si reppereris, auctor tibi su n, ut post* μέθης *inseras, quod ob ductuum similitudinem periit*, βαθείας sqq. Accurata profecto citandi ratio, at scribenti facilior quam iucundior legenti!

De saltat. 11. Exordium adfertur carminum alterius inter saltandum recitatorum, quod didascaliam complecti dicit auctor, quomodo saltandum: *Πόρρω γάρ, φασίν, ὦ παῖδες, πόδα μετάβατε καὶ κωμάξατε βέλτιον.* Iam quae sequuntur *τουτέστιν ἄμεινον ὀρχήσασθε,* interpreti tribuere et in marginem relegare non dubitaverim. **Ib. 37.** Mimorum materiae cum enumerentur inde a chaotis tempore ad Cleopatram usque descendentes: *Οὐρανοῦ τομήν, Ἀφροδίτης γονάς, Τιτάνων μάχην, Διὸς γέννησιν, Ῥέας ἀπάτην, λίθου ὑποβολήν, Κρόνου δεσμά, τὸν τῶν τριῶν ἀδελφῶν κλῆρον,* — illud *λίθου ὑποβολήν* suspectum videtur, quoniam praeter *Ῥέας ἀπάτην* nulli materiae similis additur explicatio superflua. **Ib. 63.** Verba *τήν τε Ἀφροδίτην καὶ τὸν Ἄρη* languidum efficiunt interpretamentum vocis *ἀμφοτέρους,* qua qui ambo denotantur, cum e superiore versu *(τὴν Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος μοιχείαν)* tum ex universa sententia intelleguntur. Prorsus eadem origo fuisse videtur **Philops. 4.** verborum *οὗπερ μάλιστα δέονται πρὸς τοὺς ἀκροατάς,* quae explicantia vocem *ἐπαγωγότατον* illepide adsuuntur huic sententiae: *Ἀλλ' οἱ μὲν ποιηταί — συγγνώμης τυγχάνοιεν ἄν, οἱ μὲν τὸ ἐκ τοῦ μύθου τερπνὸν ἐπαγωγότατον ὂν ἐγκαταμίγνοντες τῇ γραφῇ.* **Demon. 17.** ubi narratur Demonax anulum invenisse et quaesivisse *τὸν ἀπολέσαντα,* sic continuatam si vides orationem *ὅστις εἴη τοῦ δακτυλίου δεσπότης,* perspicisne correctoris nimiam industriam? Risum autem movet mirabilis scioli interpretis rerum cognitio ac sapientia, cum **Toxar. 17.** sententiae *ἀπάγουσι πρὸς τὸν ἁρμοστήν* adscripserit *ὃς ἥρμοζε τὴν Ἀσίαν τότε.* Nec minus molesta sunt **Prometh. in verb. 4.** *τὴν κάμηλον καὶ τὸν ἡμίλευκον ἄνθρωπον* vixque ipsi Luciano debenda. Ut paullo inferius *τὸν ἄνθρωπον* iam Lehmanno et aliis spurium visum est et ab aliena manu insertum.

Nigrin. 3. Lucianus Nigrinum divina fere fuisse affirmat eloquentia, *ὥστε τὰς Σειρῆνας ἐκείνας, εἴ τινες ἄρα ἐγένοντο καὶ τὰς Κηληδόνας καὶ τὸν Ὁμήρου λωτὸν ἀρχαῖον ἀποδεῖξαι.* Quid tandem ad rem *εἴ τινες ἄρα ἐγένοντο?* At dicat aliquis indicare voluisse Lucianum se exempli gratia fabulosas res adsciscere — ut saepius Sirenibus utitur, cf. De saltat. 3. et 4. — ipsum vero superstitionis vinculis non iam

teneri. Quid nonne tum idem de Celedonibus et de Homeri loto professurus illam sententiam in fine periodi collocasset? Interpres potius pereruditus hanc notam margini adscripsit posuitque in textu corrector hoc ipso nomine satis indignus. **Gall. 26.** *τοῦ ὑποκριτοῦ* suspectum est et glossematis speciem fert. **Imagin. 6.** *τῆς ἡλικίας δὲ τὸ μέτρον, ἡ λ ί κ ο ν ἂ ν γ έ ν ο ι τ ο, κατὰ τὴν ἐν Κνίδῳ* sqq. Molestam eiusdem rei repetitionem ita tollere conatus est Madvigius (Advers. crit. I pag. 692), ut voce *ἡλίκον* in *πηλίκον* mutata post verbum *γένοιτο* interrogationis signum statueret. At talis interrogationis hic non locus est; inficetam paraphrasin verborum antecedentium inesse puto verbis *ἡλίκον ἂν γένοιτο*, quam remiserim unde venit, in marginem. Eadem autem sorte dignum est verbum *ὑγράν* **Amor. 22:** *οὔθ' οἱ ἀέρια ῥιζοῦντες ὄρνεις οὔθ' ὅσα τ ὴ ν ὑ γ ρ ὰ ν καθ' ὕδατος εἴληχε λῆξιν* (cf. Halcyon. 1: *ἄφωνα γὰρ δὴ τά γε καθ' ὕδατος διαιτώμενα.*); et verbum *ἀποδύσαντες* in fine **Herodot. 8.** Nec minus suspicionis movet **Luc. 6:** *καὶ τῆς ἀπὸ τῆς θεραπείας ὀδύνης ἀρδόμενος ἀεὶ ἀνθέξῃ καὶ οὐδὲ λίθοις βαλλόμενος τὴν γλυκεῖαν ὀ δ ύ ν η ν φεύξῃ* superflua iteratio vocis *ὀδύνην*. **Ver. hist. I 28:** *παρῄειμεν τὸν ἥλιον ἐν χρῷ τ ὴ ν γ ῆ ν παραπλέοντες* spurium videtur vocabulum *τὴν γῆν* prope vocem *τὸν ἥλιον* collocatum. Cf. De histor. conscr. 24. *ἐν χρῷ παραμείβεσθαι.*

Navig. 40. Lucianus monumenta dicit regibus post mortem extructa nominaque incisa labentibus evanescere annis. At licet, inquit, quam diutissime ea perdurent, quid quaeso fructus inde redundabit tibi ipsi nihil iam sensuro? Quae sententia cum vulgo ita legatur expressa: *ἢν δὲ καὶ ὅ τ ι μ ά λ ι σ τ α ἐ π ὶ π λ ε ῖ σ τ ο ν παραμείνῃ, τίς ἔτι ἀπόλαυσις* sqq., haesito, utrum pro genuino habeam *ὅτι μάλιστα* an *ἐπὶ πλεῖστον*. Alterutrum enim sine dubio opprimendum est. **De calumn. 6.** cum calumnia sic definiatur: *ἔστι τοίνυν διαβολὴ κατηγορία τις ἐξ ἐρημίας γινομένη* (vel quod usitatius est Luciano servatumque in cod. Guelf. F *ἐξ ἐρήμης*) *τ ὸ ν κ α τ η γ ο ρ ο ύ μ ε ν ο ν λ ε λ η θ ν ῖ α,* tollas extrema haec verba ut manifestum notionis *ἐξ ἐρήμης* interpretamentum. **Abdicat. 4.** haec fere medicus quidam exponit: Si nos ad aegrotum vocati morbi

causa satis perspecta medelam omnino afferri posse viderimus, quam maximam rei impendemus curam ac diligentiam. Sin morbus iam corpus devicerit neque ullo modo visus erit expelli posse, prorsus abstinebimus *νόμον τινὰ παλαιὸν τῶν προπατόρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττοντες.* Quid opus voce *ἰατρῶν?* Medici nonne satis designati sunt ut *προπάτορες τῆς τέχνης* ab ipso medico? [1])

Char. 4. Mercurius cum Charonte hoc modo colloquitur: *ἀκούεις δέ γε ἴσως καὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἐμοῦ πέρι τοῦ Ἡρακλέους ὡς διαδέξαιτό ποτε αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν Ἄτλαντα καὶ ἀναπαύσειε πρὸς ὀλίγον τοῦ ἄχθους* sqq. Res narrata legentibus ita innotuit ut ab Hercule gesta, ut Lucianum ipsum nomen addidisse mihi persuadere nequeam. Exhibent mea opinione aliquid genuini codices Gorl. et Marciani, ubi legimus: *περὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἐμοῦ τοῦ Ἡρακλέους.* Nomine autem Herculis addito minus suavem teretemque orationem factam nimia genetivorum congerie corrector cum videret, anastrophe praepositionis offensionem tolli ratus vitium vitio curavit. Nominibus autem hoc modo iniectis scatent ad hunc diem Luciani scripta. Ut **De sacrif. 5.** Iovem cum narret auctor alias quidem multasque duxisse uxores *ὑστάτην δὲ τὴν Ἥραν τὴν ἀδελφήν,* codicem Gorl. nomen omittentem (quod Jacobitius quoque uncis inclusit) sequi non dubito. **Conviv. 16.** verba *ἐπὶ τοῦ ἡμετέρου θεοῦ* a Cynico pronunciata et per se ipsa dilucida, cum praesertim paullo superius *Ἡρακλῆς ἀρχηγέτης* ab eodem philosopho commemoratus sit, repeti nomen *τοῦ Ἡρακλέους* vetare videntur. **Ib. 9.** nomen *ὁ Ζηνόθεμις* inter Zenothemidis verba collocatum modo nominatim appellati, quod cap. 37. suo iure inseritur, futilis est explicatio verborum *ἦ δ' ὅς* et reiciendum in marginem; unde **ib. 32.** quoque irrepsit *ὁ Κλεόδημος* post verba *ἦ δ' ὅς.* In **Scytha** autem dialogo *ὁ Τόξαρις* nomen bis legitur moleste additum et **cp. 2.** post vocem *ὁ ἥρως* et **cp. 10.** post vocem *βάρβαρος,* quod utrumque expungam tribuamque interpreti, quia

---

[1]) **Navig. 8.** *ἡ κομή* ab aliena manu margini adscriptum esse primo obtutu suspicabar. Nunc idem video iam Sommerbrodtio placuisse (Lucian. pg. 115), quocum probo, quod Fritzschius ex Marcian. cod. 434 recepit *Αἰγυπτίοις.*

utroque loco herois nomen satis definitum ex universa sententia intellegitur. Fortasse vero **Herodot. 2.** quoque in verbis *οὗτος ἐκεῖνος Ἡρόδοτός ἐστιν*, et **Toxar. 38:** *ποικίλος γὰρ οὗτος ὁ θεὸς ὁ θάνατος*, et **Anachars. 6:** *ὑμῖν — τοῖς Ἕλλησιν* nimiam agnosces correctoris curam.

Sunt deinde loci errore scribarum turbati ac depravati vel quae scriberent ignorantium ideoque oculis persaepe aberrantibus unam vocem pluresve temere iterantium vel sciolorum scribendaque perverse corrigentium. Cuius generis vitia permulta iam viri docti removerunt. Ut De morte Peregr. — ex uno dialogo satis erit attulisse exempla — 15. vocem *εὐθὺς*, 20. *ὑπὲρ*, 22. *οἶμαι* rectissime delet commutatque 35. *βάθει* in *βόθρῳ* Fritzschius; ib. 1. Sommerbrodtius (Luc. pag. 120.) vocem *ταῦτα* et 12. (Luc. pg. 125.) vocem *ἔνδον* ex Dittographia natas esse verbi praecedentis optime perspexit, priusquam utramque vocem in Marciano cod. 434. omissam esse statueret. Quibus locis de meo addiderim hos:

Cynic. 14. Molesta est repetitio verbi *ἤρεσκεν* in fine sententiae et superflua. **Charidem. 13.** legas: *οὐ γὰρ ἐβούλετο* (deleto verbo *λέγειν*) *τὸ μετὰ Φίλωνος εὐλαβούμενος λέγειν*. **Ib. 15.** scribendum videtur: *εἰ μὲν οὖν περί τινος ἑτέρου τοὺς λόγους ἐποιούμεθα νῦν, ἀλλὰ μὴ περὶ κάλλους, ἤρκεσεν ἂν ἡμῖν ἀκούσασιν ἑνὸς εἰπόντος ἀπηλλάχθαι αὐτοῦ* sublata praepositione *περὶ* ante *αὐτοῦ*, cum usui respondeat *ἀπαλλάττεσθαί τινος*. **Saturnal. 18.** cum complures convivii leges praemittantur permittentes aliquid iisque condicionalis adiciatur sententia *ἤν τις ἐθέλῃ* vel similis, scriba male corrigens ei quoque legi, quae defendit, ne saltator neve citharoeda imperfectus ad convivium vocetur, eandem sententiam adiunxit.

Venio nunc ad locos nonnullos, quibus demere aliquid bonorum librorum auctoritate iubemur. **Jov. trag.** (qua in satura *plena esse omnia glossematis* Fritzschius affirmat in praef. ed. Luc. II 2. pag. VIII) 23. Jupiter Demosthenem laudat dicentem: *τὸ — ἐπιτιμῆσαι ῥᾴδιον καὶ τοῦ βουλομένου παντός*. Quo loco verba *τοῦ βουλομένου* ferri posse non nego; quodsi omiseris ea, minime desiderabis. Apud Lucianum vero eadem notione aut utrumque solum invenimus adhibitum et

πάντός ἐστιν, ut De morte Peregr. 24. et ὁ βουλόμενος, ut Tim. 16. Hermot. 24. Toxar. 48. aut ambo coniuncta, ut Vitar. auct. 17., cuius loci analogia confisus corrector nostro loco voci παντός praemisisse videtur τοῦ βουλομένου, quod et in cod. Marc. 434 et apud Demosthenem (Olynth. I 16) frustra quaesiveris. Similiter autem Hermot. 50. vocem τἀληθές ex aliorum locorum analogia temere iniectum esse optime demonstravit Sommerbrodtius (Luc. pg. 105) **Iov. trag. 28.** adverbium ἀσφαλῶς glossema esse notionis ἐς τὸ μεταίχμιον ab aliena manu Luciani verbis interpositum inde colligo, quod neque in codicibus Marc. 434, Guelf. F neque in editione vulgata reperitur. **Ib. 36.** eosdem codices sequens verba ἀλόγῳ φορᾷ opprimam ut glossema adverbii εἰκῇ. **Alexand. 5.** verba καὶ ὑπηρέτῃ, quae in codice Marc. 436 omittuntur, ex glossemate nata suspicor vocabuli ὑπουργῷ, quod cum alibi a Luciano non adhiberetur, explicationem flagitabat. **Ver. hist. I 35.** verba καὶ οὐραῖα codicum Gorl., Paris. C et M, Marc. 434 fide fretus sublata velim.

II.

Prima disputationis parte postquam exposui, quibus locis auctoris verba vel glossematis vel scribarum additamentis amplificata viderentur et in deterius conversa, nunc de iis disserere in animo est, qui vitio laborant plane contrario quibusque ut aliquid omitteretur, similitudinem litterarum modo antecedentium modo insequentium effecisse verisimile est. Qualem scripturae labem compluribus exemplis ex codice Marciano haustis Sommerbrodtius illustravit (Luc. pg. 125) et Fritzschius haud paucis locis perspexit. Qui Alex. 48. ante verba ἐπὶ τὰ βασίλεια ex Marcianis libris assumpsit ἐπίβασιν, quae vox pro illius dittographia habita oppressa est in compluribus libris, cum alii in eius locum glossema πάροδον receperint. Hermot. 48. idem Fr. coniecturam Dindorfii probat [ἔτη] [1]) ἐτίθεμεν et Conviv. 34. ipse supplet: ἐνενόουν [οἷον] τὸ πρόχειρον

[1]) Litteras vocesque supplendas huiusce modi uncis inclusi.

ἐκεῖνο, et quae similia sexcenta fere occurrunt Fr. editionem evolventi. Nec non Herwerdenius pg. 70 sqq. multa huiuscemodi vitia collegit et emendare studuit. Eadem autem emendandi ratio mihi quidem his locis videtur adhibenda.

Rhet. praec. 8. cum Sommerbrodtio verba *καὶ ἤδη ἀπορεῖς* expungere et ex cod. Marc. 434 *τρεπτέον* pro *τραπητέον* recipere non dubito, verba autem *ὡς* (sic Marc.) *οὖν ποιήσας* retinuerim ita restituta: *ὡς οὐ[δὲ]ν [προ]πονήσας*, ut haec evadat sententia: *ἐπεὶ δ' οὖν εἰς* (sic cum Sommerbrodtio ex Marc. legendum) *τὴν ἀρχὴν ἀφικόμενος εὖ οἶδ' ὅτι ἀπορήσεις, ὁποτέραν τρεπτέον, ὡς οὐδὲν προπονήσας ἤδη ῥᾷστα ἐπὶ τὸ ἀκρότατον ἀναβήσῃ — — ἐγώ σοι φράσω.* ‚Cum profecto non ignorem ad initium venientem te animo esse fluctuaturum, utram in viam te convertas, quemadmodum minime instructus iam facillime in summum escendere possis — — ego tibi dicam.' Quibus optime respondeant, quae sequuntur: *ἱκανὸν γὰρ τὸ αὐτὸν ἐξαπατηθῆναι καὶ πονῆσαι.* Verbum *προπονεῖν* autem initio cap. 3. de eadem re usurpatur.

Tribus locis ante *τοῦ* pronomen demonstrativum excidisse sententia universa docere videtur: **Char. 6.** Oeta aliisque montibus super Parnassum volutis, ut quam maximum haberent terrarum prospectum, Charon Mercurio cum se frustra tantum opus molitos esse dixerit, quae interroganti *Ὅτι τί;* respondet, sic censeo legenda esse: *Οὐδὲν ἀκριβὲς ἐγὼ γοῦν ἀπὸ [τούτου] τοῦ ὑψηλοῦ ὁρῶ.* sqq. [1]) **Patriae encom. 6.** Solem, inquit auctor, in sua quisque patria primum conspicit, ut hunc quoque deum, licet omnium sit communis, ab unoquoque patrium putari oporteat; iam pergendum arbitror: *διὰ τὴν πρώτην ἀπὸ [τούτου] τοῦ τόπου θέαν.* **Dial. deor. IV 4.** Ganymedi se lactis pocula Iovi ministraturum esse rato Iupiter: *τουτὶ δ' ὁ οὐρανός ἐστι καὶ πίνομεν, ὡς ἔφην, τὸ νέκταρ.* Quem cum ille interroget: *Ἥδιον, ὦ Ζεῦ, τοῦ γάλακτος;* nonne sensus postulat, ut suppleamus: [*τοῦτο*] *τοῦ γάλακτος?*

Saturnal. 24. Pauper aliquis epistula ad Saturnum data

---

1) Ibidem paullo inferius fortasse scribendum: *Ἐπὶ δεῖπνον, οἶμαι, κληθείς [τις]* sqq.

hunc finem facit exsecrationis divitum: *ταῦτα καὶ πλείω τούτων εὐξαίμεϑ' ἄν, εἰ μὴ ϑέλωσι τὸ ἄγαν φίλαυτον τοῦτ' ἀφέντες ἐς τὸ κοινὸν πλουτεῖν καὶ μεταδιδόναι ἡμῖν τῶν μετρίων.* Immo scripsit Lucianus *τῶν* [*οὐ*] *μετρίων,* nam immodicis bonis invidia excitatur. Eandem medelam locus efflagitat eiusdem libelli **cap. 33:** *τίς γὰρ ἂν φϑονήσειε τῷ κοινωνοῦντι καὶ διδόντι τῶν* [*οὐ*] *μετρίων.* Conferas autem Bis accus. 25. (in.), ubi negationem omissam rectissime restituit Sommerbrodtius (Luc. pg. 117) **Timon. 29.** (in.) Sommerbrodtius cum Cobeto voculam *δέ* delet. At fortasse legendum: *ἙΡΜ.* [*ὅμ*]*ως δέ,* id quod Wielandius divinasse videtur, cum verteret: *Und gleichwohl, mein guter Plutus, bist Du so glatt und schlüpfrig.*

Multis deinde locis *καὶ* particula excidit ante vocem *κατά* vel aliam eadem littera incipientem. Ut **Herod. 1.** corrigam: *οὔκουν ἠξίου διασπᾶν τὸ πρᾶγμα οὐδὲ κατὰ διαίρεσιν οὕτω* [*καὶ*] *κατ' ὀλίγον ἀγείρειν καὶ συλλέγειν* sqq. et **Anachars. 34:** *καὶ ἄδηλον ὁπότε τις ἐπιστὰς κοιμώμενον* [*καὶ*] *κατασπάσας* sqq. et **Navig. 44.** *εἰσιόντα ἀϑέατον* [*καὶ*] *κοιμίσαντα* sqq. et paullo inferius: *προσϑέμενος ἂν τοῖς ἡττημένοις* [*καὶ*] *κοιμίσας* sqq.

De merced. cond. 15. Mercede conducto cuidam Lucianus: In convivio, inquit, servi te observant ab ipso domino iussi, *ὅπως ἐς τοὺς παῖδας ἢ ἐς τὴν γυναῖκα εἰ πολλάκις ἐκ περιωπῆς ἀποβλέψεις.* Haec fere omnium librorum verba (cod. Graev. *εἰ* omittit) crucem efficiunt interpretum, cum duae coniunctiones *ὅπως* et *εἰ* in eodem enuntiato ferri nequeant. Quare Fritzschius *εἴ πως* corrigit pro *ὅπως* vocula *εἰ* ante *πολλάκις* secundum codicem Graevianum deleta. Madvigius autem (Adv. crit. I pag. 684) tradita verba servans *εἰ πολλάκις* vertit ‚*si forte saepe*'. Quae verba si apud Lucianum saepius adverbii locum obtinerent, nil obstaret, quin assentiremus. At nonne omnis offensio tollitur, modo suppleamus *γυναῖκα* [*καὶ*] *εἰ* ‚quemadmodum in liberos aut in uxorem et num saepe (sc. in eam) oculos conicias.'?

Harmonid. 3. ut legamus *ἀναπληρού*[*τω*] *τὸ ἐνδέον,* insequentis imperativi forma *δοκείτω* exposcit. **Tyrannicid. 1.** Duos, inquit, tyrannos qui interfeci, ad vos venio, iudices, *τὸν μὲν ἤδη παρηβηκότα, τὸν δὲ ἀκμάζοντα καὶ πρὸς διαδοχὴν τῶν*

ἀδικημάτων ἑτοιμότερον. Nonne corrigendum [ἔτι] ἑτοιμότερον? **Pseudologist. 2.** Sexcenta, inquit Lucianus, in vita tua inveniantur iambis digna, quae ad satis illudenda ne Archilochus quidem sufficiet, etiamsi insuper advocaverit Simonidem Hipponactemque συμποιεῖν μετ' αὐτοῦ κ ἄ ν ἕ ν τ ι τῶν προσόντων σοι κακῶν. Nescio an potius Luciano vindicem κἂν [ἐν] ἑνὶ τῶν sqq., quae coniectura codicis Gorl. verbis κἂν ἕν τι aliquantulum firmatur. **Charidem. 9.** Exposuit auctor de Iovis suavitate animique dulcedine formosarum mulierum in consuetudinem se insinuantis. Ubi cum ita sermo continuetur: καὶ οὐχ ὁ μὲν Ζεὺς οὕτω μόνος ἑάλω τοῦ κάλλους, τῶν δ' ἄλλων οὐδεὶς θεῶν, ἵ ν α μ ᾶ λ λ ο ν ἔχειν δοκῇ ταῦτα κατηγορίαν Διός, οὐχ ὑπὲρ τοῦ κάλλους εἰρῆσθαι, rectius scribes ἵνα [μὴ] μᾶλλον. Ultima autem verba οὐχ ὑπὲρ sqq. fortasse correctori debenda et exstinguenda sunt. **Anachars. 30.** ταῦτ' ἔστιν, ὦ Ἀνάχαρσι, ἃ τοὺς νέους ἡμεῖς ἀσκοῦμεν οἰόμενοι φύλακας ἡμῖν τῆς πόλεως ἀγαθοὺς γ ε ν έ σ θ α ι καὶ ἐν ἐλευθερίᾳ βιώσεσθαι. Hoc loco et universa sententia et futuro βιώσεσθαι restituere cogimur γεν[ήσ]εσθαι. Idem vitium autem **Dial. mort. XIII 3.** tradunt codex Marc. 434 et editio vulgata, ut verbum ἐλπίζοντα infinitivus excipiat γενέσθαι, cum integrum γενήσεσθαι codd. Vindob., Oxon., Marc. 436, Florent. exhibeant, quos libros iam secutum esse nunc video Fritzschium in nova huius dialogi recensione (Ind. lect. academ. Rostoch. 1878/79). Qui miror quod (ibidem) **Dial. mort. XI 2.** refutavit Hemsterhusii coniecturam οὐδὲ πώποτε προμαντευομένους οὕτω γεν[ήσ]εσθαι ταῦτα a Cobeto iteratam (Var. Lect. 229), quippe quam codicis Vatic. 87 fide firmari verisimile sit, laudavitque ceterorum librorum scripturam γενέσθαι.

Parasit. 43. Socrates inter philosophos graecos collaudatus si ὁ σοφός appellatur, coniectandum sit auctorem scripsisse ὁ σοφ[ώτατ]ος, ut in Jov. trag. 5. codex Marc. 434 et editio vulg. sincerum servarunt δεινότατα ταῦτα, quod in ceteris minutum apparet in δεινὰ ταῦτα. Similis autem medela alii quoque loco suppeditari potest: **Pro imagin. 20.** Lucianus de laudatore virtutes amplificante: καὶ τολμήσειεν ἂν εἰπεῖν, ἵππον ἐπαινέσαι θέλων φύσει κοῦφον ὧν ἴσμεν ζώων καὶ

δρομικόν, ὅτι sqq. Ubi positivas adiectivorum formas ex superlativis *κουφό[τατο]ν* — *δρομικ[ώτατ]ον* depravatas esse suspicandum erit, nisi cum Madvigio (Adv. crit. I pag. 693) Guyeti emendationem praetuleris *ὡς ἴσμεν ζῶον.*

Nonnunquam participiorum genetivi in *άντων* vel *όντων* desinentes effecisse videntur, ut sequens pronomen *αὐτῶν* omitteretur. Quo modo emendem **Amor. 18:** *καὶ συγκαταινεσάντων [αὐτῶν] ἐξῄειμεν* et **Alexandr. 40:** *καὶ τὴν ζήτησιν ταύτην αὐτῷ Ἀλεξάνδρῳ ἐπανενεγκόντων [αὐτῶν], ὁ βασιλεὺς* sqq. et **Dial. meretr. XIII 1:** *ὑμεῖς δέ, ὦ Χηνίδα, μετ' ὀλίγον ἐπέστητε ἤδη φευγόντων [αὐτῶν].* **De morte Peregr. 43.** Bekkeri coniectura *ἐπιταραχθείημεν* probata cum Fritzschio aut cum iisdem post participium *ἐγείραντος* lacunam statuere cogeris aut sic fere locum supplere: *ἐγείραντος. [αὐτὸς δ'] ἐκώκυε* sqq. **Amor. 47.** cum de Oreste et Pylade legamus, quod *ὡς ἐφ' ἑνὸς σκάφους τοῦ βίου συνέπλευσαν,* idem verbi *πλεῖν* compositum paullo inferius restituere non cunctamur: *τὴν δὲ ἐρωτικὴν φιλίαν οὐδὲ τοῖς τῆς Ἑλλάδος ὅροις ἐμέτρησαν, ἀλλ' ἐπὶ τοὺς ἐσχάτους Σκυθῶν τέρμονας [συν]έπλευσαν.* Veluti De mort. Per. 28. optime Cobeti (Var. Lect. pag. 209) coniecturam *[συ]στήσεσθαι* laudat Fritzschius, Sommerbrodtius firmat fide codicis Marc. 434 (Luc. pag. 125) Ut vero Fritzschius Navig. 16. supplet: *ἑκάστῳ [ἔστω]*, ita **Imagin. 6.** coniecerim: *τῆς ἡλικίας δὲ τὸ μέτρον*[1]) *κατὰ τὴν ἐν Κνίδῳ ἐκείνην μάλιστα [ἔσται].* Commendat autem hanc emendationem eadem vox in praecedentibus bis posita.

Pro lapsu int. salut. 5. Pythagoraeorum opinio cum sic expressa sit: *καὶ ὅλως ἡγοῦντο τῷ μὲν ὑγιαίνειν τὸ εὖ πράττειν καὶ τὸ χαίρειν εἶναι,* sensus postulat, ut (coll. Prometh. in verb. 7: *τοῦτο μόνον οὐκ ἂν εἴποις ἐνεῖναι τοῖς ἡμετέροις*) verbo *εἶναι* praepositionem *ἐν* praefigamus, quae pro dittographia extremae syllabae verbi *χαίρειν* habita haud ita difficile fieri potuit, ut omitteretur.[2]) Pari ratione reficiendum

[1]) Huius loci aliquot verba nos part. I pag. 6 spuria censuisse in memoriam revocare iuvabit.

[2]) De eodem lapsu infra part. III erit disserendum (Dial. mar. VIII 2.), qui permultis locis Lucianeis maculam impingit. Ut iure arripit Fritzschius

videtur: **Pro imag. 25:** *θεοειδῆ [δὲ] τὸν Φρύγα.* et **Dial. meretr. II 1:** *ἑώρακας τὸν πατέρα τῆς νύμφης, τό [τε] πρόσωπο ναὐτοῦ οἶσθα.* et **Scyth. 4.**, ubi Anarcharsis Toxarin orat, ut et Athenis et tota Graecia quae sint visu digna, demonstret neve se in patriam redire patiatur ea non contemplatum: *καὶ μή [με] περιίδῃς ἀθέατον αὐτῶν ἀναστρέψοντα.* Ut Vit. auct. 9. quod Sommerbrodtius (Luc. pag. 154) post particulam *δέ* obiectum inserit valde desideratum *σε*, impense probo. **Philopatr. 14.** corrigendum est: *ὥστε, ὦ Τριεφῶν, διὰ τοῦτό [με] μηδὲν προσθεῖναι περὶ τῶν Μοιρῶν ἐθελήσῃς* et **ib. 3:** *βορέην ἄρτι ἀνὰ τὴν Προποντίδα κεκίνηκας, ὡς διὰ κάλων αἱ ὁλκάδες [ἐς] τὸν Εὔξεινον πόντον οἰχήσονται.*

Nec raro particula *ἄν* ita excidit. Qua de causa corrigas **Philops. 19:** *εἰ δὲ μὴ χαλκοῦ, ὦ Εὔκρατες, ἀλλὰ ξύλου ἐπεποίητο, οὐδὲν [ἂν] ἐκώλυεν οὐ Δημητρίου ἔργον εἶναι.* Cuius generis locis, qui a Madvigio (Adv. crit. I pag. 702.) colliguntur, hos adiungam: **Navig. 41.** *τὸ ἀνιαρὸν [ἂν] ἐν αὐτοῖς ἦν* et **ib. 44.** *οἷον δὲ κἀκεῖνο [ἂν] ἦν.* Lucianum enim in eiusmodi enuntiatis particulam *ἄν* vulgo non praetermisisse ex universa Timolai oratione (Navig. 44.) videre licet. **Hermot. 39.** scribendum puto: *ἄδηλον [ἂν] ἦν καὶ οὕτως, ὅστις ὁ τὰ τοῦ θεοῦ ὑφῃρημένος,* sive retinemus verbum *ἦν* sive cum Fritzschio post *ὅστις* transponimus sive delemus. **Ib. 55.** lego: *καὶ σοὶ οὐδὲν [ἂν] ἄλλο — αἴτιον ἦν.* Contrarius error, ut post voculam *ἄν* duae litterae omitterentur, irrepsit **Patr. encom. 2:** Si nobis, inquit auctor, eligere liceat quamlibet urbem, vix quisquam posthabita urbe patria elegantiorem sibi sumat *ἀλλ' εὔξαιτο μὲν ἂν εἶναι καὶ τὴν πατρίδα ταῖς εὐδαίμοσι παραπλησίαν, ἕλοιτο δ' ἂν τὴν ὁποιανοῦν.* Sine dubio corrigendum *δ' ἂν [αὐ]τὴν ὁποιανοῦν.* **Ver. hist. II 27.** sic mutandum esse arbitror: *χρόνῳ ποτὲ ἥξεις εἰς τὴν [ὑμ]ετέραν ἤπειρον.* Etenim

---

Bis accus. 20. lectionem a Cobeto (Var. Lect. pg. 163) una cum similibus inventam *[ἐν]εσκευασμένην* et Sommerbrodtius (Luc. pag. 119) bene correxit Navig. 44. *οὐδὲν γὰρ [ἐν]δεήσει μοι.* Bis accus. 30. ceteri libri verum tradunt *[ἐν]έγραψε,* cum vocula *ἐν* in uno cod. Marc. 436 oppressa sit. Vit. auct. 9. soli codices Florent. et Paris. 11 integrum servant *[ἐμ]πιπλάμενον.* Plures locos enumerare longum est.

Rhadamanthys non tam terrarum partem ab ipso Luciano incultam *τὴν ἑτέραν* appellare debebat quam illam 'superiore loco antipodum nominatam, quemadmodum sub finem libelli notionem *ἡ ἑτέρα γῆ* videmus usurpatam.

Scyth. 3. Anacharsin Scytham Athenas adventantem, cum obviam euntes omnes in eum propter habitum insuetum peregrinumque oculos teneant defixos, poenitet itineris facti. Quamobrem urbe perlustrata domum extemplo reverti constituit, cum ex caelo quasi demissus Toxaris Scytha obviam ingrediens Anacharsin agnoscit, quamvis ipse eidem ignotus. *ὁ Ἀνάχαρσις δὲ πόθεν ἂν ἐκεῖνον ἔγνω ὁμοεθνῆ ὄντα, Ἑλληνιστὶ ἐσταλμένον — ἤδη στωμύλον αὐτῶν τῶν Ἀττικῶν ἕνα τῶν αὐτοχθόνων.* Desideratur relationis aliquid inter *στωμύλον* et *αὐτῶν* sqq. Coll. igitur De sacrific. 6: *σπινθήρων ἀνάπλεων οἷα δὴ καμινευτὴν* fortasse scribendum *στωμύλον* [*οἷα*] *αὐτῶν* sqq.

Ver. hist. I 7. narrat Lucianus se in fabuloso illo itinere ad columnas Herculis venisse in terram rerum plenam mirabilium ibique repperisse flumen vino fluens: *καὶ ἐφιστάμεθα ποταμῷ οἶνον ῥέοντι ὁμοιοτάτῳ μάλιστα οἷόσπερ ὁ Χῖός ἐστιν.* At primum quidem vinum potius Chio illi clarissimo simile fuit quam flumen. Tum vero superlativum adverbium *μάλιστα* superlativo adiectivo *ὁμοιοτάτῳ* abundanter adpositum usui repugnat. Illud vitium Dindorfii coniectura *ὁμοιότατον* removeat, utrumque autem orationis impedimentum tolles, si Luciano mecum tribueris: *ὅμοιον τοιούτῳ* sqq., quae verba scriba obiter legente in unum coaluerunt.

Dial. mort. X 12. Mercurii Menippique apud inferos colloquium tumultu ingenti dirimitur e terris sonante. Cuius rei causa a Mercurio sic explanatur: *Ναί, ὦ Μένιππε, οὐκ ἀφ' ἑνός γε χωρίου, ἀλλ' οἱ μὲν ἐς τὴν ἐκκλησίαν συνελθόντες ἄσμενοι γελῶσι πάντες ἐπὶ τῷ Λαμπίχου θανάτῳ — ἄλλοι δὲ Διοφάνη τὸν ῥήτορα ἐπαινοῦσιν ἐν Σικυῶνι ἐπιταφίους λόγους διεξιόντα ἐπὶ Κράτωνι τούτῳ.* Quod in hac altera tumultus causa ipse locus nominatur, dein quod vox *πάντες* non bene respondet notioni *οἱ μέν,* inde colligo illius quoque contionis locum a scriptore denotatum fuisse. Quem desiderari Wielandius sensit, cum verteret. ‚*Denn zu Gela laeuft das Volk auf dem*

Markte zusammen.' Iam supra enim (cp. 4.) Lampichus *Γελῴων τύραννος* appellatur. Scripsit ergo Lucianus fortasse *ἄσμενοι* [*οἱ Γελῷοι*] *γελῶσι*.

De saltat. 73. Lucianus Cratoni haec: *ὃ δέ ἐστι μάλιστα ἐπὶ τῶν ὀρχηστῶν ἐπαινέσαι, τοῦτο ἤδη ἐρῶ· τὸ γὰρ ἰσχύν τε ἅμα καὶ ὑγρότητα τῶν μελῶν ἐπιτηδεύειν ὁμοίως παράδοξον εἶναί μοι δοκεῖ ὡς* sqq. His verbis primum quidem Lucianus dicat, quid sibi mirum videatur saltationis, non — id quod voluit dicere — quid maxime eiusdem sit laudandum; deinde vero quo tandem consilio qui toto dialogo huius artis gnarissimum se ostendit spectatorem, is ipse in fine sermonis sibi summam eius laudem ambiguam mirabilemque videri fateatur? Duplici vitio locum laborare existimo, altero quod ante *δοκεῖ* pronomen *σοι* abiit in *μοι*, altero quod inter *ἐπιτηδεύειν* et *ὁμοίως* pronomen *ὅπερ* excidit. Quae coniectura editionis Basileens. III (apud Jacobit. g) lectione *ὅσπερ ὁμοίως* nititur. Itaque haec sententia existit: ,Quid autem pantomimorum maxime sit laudandum, nunc dicam: robur enim simul et agilitatem membrorum quod parant, id quod tibi aeque paradoxum esse videtur ac sqq.'

In fine huius particulae versum colloco **Ocypod. 140.**, qui adhuc mutilatus legitur. Ubi paedagogus Ocypodi podagra vehementissime vexato ac ne nominis quidem morbi gnaro medicum dicit hoc nomen non ignorare. Cuius initium, inquit, a sede morbi derivare licet,

Τούτῳ σὺ πρόσθες ἐπὶ τέλει δεινὴν ἄγραν.

Cui aegrotus:

Καὶ πῶς με τὸν δύστηνον ἔτι — — —

Error manifestus est. Nam Ocypus, qua est pedum imbecillitate, obstupefactus ac perterritus venationis sola mentione extrema illa verba *δεινὴν ἄγραν* iterat; quae errore bis posita esse suspicatus scriba male doctus altero loco omisit lacunamque significavit. Quod verum esse insequentis versus initium a paedagogo prolati docere videtur, cuius prima vox extremam notionem quaestionis excipit:

Δεινή περ οὖσα, φείδεται γὰρ οὐδενός.

III.

Venio nunc ad locos nonnullos ita corruptos, ut vel singula verba sive errore sive consilio transponerentur vel totorum enuntiatorum ordo conturbaretur. Quibus scripturae mendis Luciani libros minime vacare testis est Fritzschius crebris locis ea labe infectis et impeditis egregie medicatus. Qui Hermot. 15. (in.) *τὸ πρῶτον* recte remisit post *ὁπότε* et Navig. 26. foedam esse perspexit codicum Gorl., Marc. 434 lectionem *τοῦ πλούτου πρὶν ἀπολαῦσαι* et cum codice Flor. vulgataque editione mutandam. Nec non Sommerbrodtius tale vitium (Luc. pg. 118) Bis accus. 28. agnovit et Rhet. praec. 15. cum cod. Marc. 434 optime ordinem verborum mutavit (Luc. pg. 149).

Sed ne multus fiam aliorum exempla proferens, iam mea expromantur.

Luc. 1. domo Hypatam migrantem, Thessaliae in urbem, narrat Lucianus se convenisse cum hominibus nonnullis Hypataeis ipsorum in urbem redeuntibus cumque iis una iter fecisse. Ab urbe autem cum proxime abessent, se Thessalos illos interrogavisse, *εἴ που* (sic lego cum Herwerdenio pg. 78. pro *εἴπερ*) *ἐπίστανται ἄνδρα οἰκοῦντα ἐς τὰ Ὕπατα, Ἵππαρχον τοὔνομα . γράμματα δὲ αὐτῷ ἐκόμιζον οἴκοθεν, ὥστε οἰκῆσαι παρ' αὐτῷ.* Verba *ἐς τὰ Ὕπατα* sensu carere, quo loco traduntur, quis est quin intellegat? Quae quominus cum Herwerdenio expungam, eo impedior, quod si quis corrigens ea inseruisset, *ἐν τοῖς Ὑπάτοις* potius scripsisset. Locum suspicor ea mutasse proprium et post vocem *οἴκοθεν* esse reponenda. ‚Epistulam enim ei domo afferebam Hypatam in urbem, ut apud eum deversarer.'

Dial. mar. VIII 1. Neptunus delphinorum animum laudans erga homines benevolum, qui delphinus Arionem nuper servavit, ei haec: *καὶ νῦν,* inquit, *σὺ τὸν κιθαρῳδὸν τουτονὶ τὸν ἐκ Μηθύμνης ἀναλαβὼν ἐξενήξω ἐς Ταίναρον αὐτῇ σκευῇ καὶ κιθάρᾳ.* Non habent verba extrema, quo referantur, cum *ἐκνήχεσθαι* verbum sit intransitivum et participium *ἀναλαβών* longius absit, quam quocum bene coniungi possint. Quare

Hemsterhusius post verbum ἐξενήξω participium φέρων iniecit; Fritzschius autem libris diffisus omnibus (nam quod in solo Vatic. 87 legimus ἐξενηξαις, eius ultima syllaba corrupta videtur ex ω sequente vocula ἐς) ex Herodot. I 23. 24. assumpsit ἐξήνεγκας. Quod autem altera huius dialogi paragrapho idem verbum ἐξενηξάμην invenimus de eadem re usurpatum, nostrum locum ex hoc inferiore interpolatum esse arbitratur. At nonne Luciano magis confisi emendabimus Lucianum quam Herodoto? Bis idem verbum si videmus de eadem re dictum, nonne alterum potius ab altero stabilitur, quam in suspicionem vocatur? Ac nihil profecto obstat, quin prius ἐξενήξω retineatur. Transponantur extrema illa verba αὐτῇ σκευῇ καὶ κιθάρᾳ ante ἀναλαβών, expedita fluet oratio: ‚Et nunc tu citharoedum Methymnaeum cum ornatu simul et cithara suscipiens umeris enatasti sqq.'

Quod vero hunc locum emendaturus Fritzschius aequo plus tribuit auctoritatis Herodoto, causa mihi est de alia huiusce dialogi emendatione ab eodem proposita hic verba faciendi. Qui cap. 2. verba καὶ ἔπεσεν ἐς τὴν θάλασσαν ex Herodot. I 24. convertit in κ. ἐπήδησεν ἐς τ. θ. Qua in coniectura vix quisquam haereret, nisi ut supra sic hoc loco repugnaret Herodoti auctoritati auctoritas Luciani, qui Dial. mar. IX 1. Inūs sortem commemorans his verbis utitur: καὶ ἐμπεσεῖται — ἐς τὸ πέλαγος. Unde nostrum quoque in locum receperim καὶ [ἐν]έπεσεν ἐς τ. θ. Voculam ἐν enim verbis praefixam persaepe a librariis opprimi supra docui part. II pg. 13. adn. 2.

Icaromen. 2. in Menippi verbis interrogati, quomodo in coelum escenderit: ἀτὰρ οὐδὲν ἐδέησέ μοι πρὸς τὴν ἄνοδον οὔτε τῆς κλίμακος οὔτε παιδικὰ γενέσθαι τοῦ ἀετοῦ articulus τοῦ loco suo motus esse videtur reponendusque ante παιδικά, ubi articulo voci κλίμακος praemisso optime respondet.

De sacrific. 5. de liberis a Iove procreatis narrans haec dicit auctor de Baccho: τὸν μὲν γὰρ Διόνυσον ἡμιτελῆ, φασίν, ἐκ τῆς μητρὸς ἔτι καομένης ἁρπάσας ἐν τῷ μηρῷ φέρων κατώρυξε sqq. Particula ἔτι, quo nunc legitur loco, superflua ante ἡμιτελῆ transponatur.

Charidem. 6. abuti sermone dicit Philo eum, qui de exiguis vilibusque rebus loquens de pulchritudine taceat. ἢ πῶς

ἂν τὸ ἐν λόγοις καλὸν σώζοιτο *κάλλιον μᾶλλον* ἢ τῷ πάντα τἆλλα παρέντας περὶ αὐτοῦ λέγειν τοῦ τέλους ἡμᾶς τῶν ἑκάστοτε πραττομένων. Vox *μᾶλλον* prope *κάλλιον* posita quid sibi velit, alius explicet. Quam nisi pro mero glossemate habere malueris, paullo inferius post *αὐτοῦ* collocans sententiae favebis.

Dial. deor. XXV 1. Iovis Solem reprehendentis, quod Phaethonti currum solis tradiderit, oratio haec in verba desinit: *καὶ εἰ μὴ ἐγὼ ξυνεὶς τὸ γιγνόμενον κατέβαλον αὐτὸν τῷ κεραυνῷ, οὐδὲ λείψανον ἀνθρώπων ἔτι* (sic cum Fritzschio secundum cod. Vat. 87 lego) *ἔμεινεν ἄν. τοιοῦτον ἡμῖν ἡνίοχον τὸν καλὸν ἐκεῖνον καὶ διφρηλάτην ἐκπέπομφας.* Ita cod. Gorl. extremam sententiae partem tradit; in Marc. 436 autem legimus: *τὸν καλὸν ἡνίοχον ἐκεῖνον* atque in codd. Vatic. 87, Paris. *Δ*, Marc. 434 vulgataque editione: *τὸν καλὸν ἡνίοχον* (omisso *ἐκεῖνον*). Nutantes igitur videmus libros in verbis *τὸν καλὸν ἐκεῖνον*, quo loco ponenda sint, quia, opinor, suo proprio de loco cesserunt. Namque ubi nunc leguntur, et explicando detrectant sententiae ironiam, quae sola voce *τοιοῦτον* egregie continetur et orationem languidam reddunt. Quae offensio ne ordine quidem verborum a Bekkero Fritzschioque proposito tollitur: *τοιοῦτον ἡμῖν τὸν καλὸν ἐκεῖνον ἡνίοχον καὶ* sqq. Quare ea ratione locum sanem, ut verba *τὸν καλὸν ἐκεῖνον* huc delapsa esse arbitrer ex superiore versu. Ubi post vocem *κατέβαλον* a Luciano scripta haec verba cum errore quodam deducta essent, ab aliena manu *αὐτόν* substitutum est.

Imag. 15. (extr.) mutatio a Madvigio (Adv. crit. I pag. 693) prolata, quamvis sit ingeniose et sagaciter inventa, — scribit enim *γραφικὸν συνειλεῖν εἰς ἕν* pro *γραφικῶς συντελεσθέν* — fortasse non necessaria est, modo inter se permutemus verba *γραφικῶς συντελεσθέν* et verba *αὐτὸ αὐτῷ ἀνθαμιλλώμενον.* Unde haec evadit sententia: Hoc enim inferius est sibique repugnat ipsi, tot venustates et multifariam imaginem ex multis efficere artificiose compositam. Zeugma autem ‚*tot venustates et multifariam imaginem efficere*' haud ita arduum est intellectu.

Parasit 51. Nec philosophi, inquit parasitus, nec rhetores in gymnasio digni sunt, qui cum parasitis comparentur. Ac profecto in deserto loco nemo illorum impetum excipiat

ferae obviam incurrentis, parasitus suscipit manetque facile inter epulas contemnere eas edoctus. Quem nec cervus neque horridus aper terrere valet, sed dentes apro acuente et ipse parasitus acuit. Iam inepte sequitur sententia: *τοὺς μὲν γὰρ λαγὼς διώκει μᾶλλον τῶν κυνῶν.* Lepores enim quid cum apro dentes acuente? Quodsi haec verba insequenti enuntiato: *ἐν δὲ δὴ συμποσίῳ τίς ἂν καὶ ἁμιλλήσαιτο παρασίτῳ ἤτοι παίζοντι ἢ ἐσθίοντι,* — postposueris, nil amplius superesset offensionis.

Ibid. 12. Parasitus Epicurum turpiter abstulisse dicit parasitis summum bonum nomenque ei dedisse eudaemoniae. Neque vero omnino ad summum bonum, quod in corporis animique tranquillitate positum sit, pervenire posse Epicurum quaestionibus semper occupatum de terrae forma et de mundi infinita magnitudine. Neque vero ea sola causa Epicuri non esse summum bonum, sed etiam hac altera. Deinde sic pergit: *ὁ γὰρ Ἐπίκουρος οὗτος, ὅστις ποτέ ἐστιν ὁ σοφός, ἤτοι φαγεῖν ἔχει ἢ οὔ· εἰ μὲν οὐκ ἔχει* (Fritzsch. bene: *εἰ μὲν οὖν οὐκ ἔχει*), *οὐχ ὅπως ἡδέως οὐ* (recte delet *οὐ* Cobetus) *ζήσεται ἀλλ' οὐδὲ ζήσεται· εἰ δὲ ἔχει* (verbum *ἔχει* initio bis scriptum fuisse hoc loco Herwerd. censet), *εἴτε παρ' ἑαυτοῦ εἴτε παρ' ἄλλου· εἰ μὲν οὖν παρ' ἄλλου τὸ φαγεῖν ἔχει* (haec tria verba omittit Herwerd.), *παράσιτός ἐστι καὶ οὐχ ὃς λέγει.* Initium quidem sententiae perobscurum est nec planius fit Madvigii (Adv. crit. I pag. 697) coniectura *Ἐπικούρειος,* cum antea non de Epicureis sed de ipso Epicuro sermo fuerit. Opem autem feret particula *ἤ,* quae non raro excidit, ante *ὅστις* inserta, ut haec exstet sententia: Hic Epicurus enim, vel quicumque aliquando est philosophus, aut habet, quod edat, aut non habet. Deinde probo Fritzschii emendationem *εἰ μὲν οὖν οὐκ ἔχει,* quia particula *οὖν* demonstrationem continuari bene indicat. Tum vero non tantum cum Cobeto negationem *οὐ* deleam ante verbum *ζήσεται* vitiose iniectam, sed hoc ipsum verbum in insequens enuntiatum post *ἄλλου* reponam, quo et superior sententia otiosa et inutili eiusdem verbi iteratione liberetur et inferiori verbum detur, quo opus esse ratus Herwerd. verbum *ἔχει* bis positum a Luciano a scriba altero loco omissum esse

sibi persuadet. Idem vero utrum recte deleat verba *τὸ φαγεῖν ἔχει,* annon, pro certo contendere non ausim. Lego igitur locum: *ὁ γὰρ Ἐπίκουρος οὗτος, ἢ ὅστις ποτέ ἐστιν ὁ σοφός, ἤτοι φαγεῖν ἔχει ἢ οὔ· εἰ μὲν οὖν οὐκ ἔχει, οὐχ ὅπως ἡδέως ἀλλ' οὐδὲ ζήσεται· εἰ δὲ ἔχει, εἴτε παρ' ἑαυτοῦ εἴτε παρ' ἄλλου ζήσεται· εἰ μὲν οὖν παρ' ἄλλου [τὸ φαγεῖν ἔχει], παράσιτός ἐστι καὶ οὐχ ὃς λέγει.* — In fine autem eiusdem capitis iam Hirschigius invenit, quod mihi quoque placuit, ut verba *οὔτε οἰκονόμος* transponerentur, nisi quod ea ante vocem *ἐστιν* collocata malim quam post *χαλεπῆναι.*

Ut quaeque vox saepissime usurpabatur, ita facillime fiebat, ut de loco suo migraret. Veluti particula *καί* saepe transposita apparet, quam proprium in locum rectissime videmus remissam a Sommerbrodtio (Luc. pg. 111 et 113) Tim. 15. et 43. Huc mihi quidem hi loci pertinere videntur. **Luc. 25.** Inter latrones de sorte virginis captae et asini, qui fugientem illam sublevavit, deliberantes unus hanc fert sententiam: *τοῦτον* (sc. asinum) *οὖν ἕωθέν ἀποσφάξαντες ἀνατέμωμεν ἐκ τῆς γαστρὸς καὶ τὰ μὲν ἔγκατα πάντα ἔξω βάλωμεν, τὴν δὲ τὴν ἀγαθὴν ταύτην παρθένον τῷ ὄνῳ ἐγκατοικίσωμεν* sqq. Nimirum legendum: *ἀνατέμωμεν καὶ ἐκ τῆς γαστρὸς — βάλωμεν,* nam quid *ἀνατέμνειν ἐκ τῆς γαστρὸς?* Dicendum erat *ἀνατέμνειν τὴν γαστέρα,* ut legimus Dial. deor. IX 2: *ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα.* Vocabulum autem *ἔξω* verbo *βάλωμεν* adpositum ex inferioribus verbis *ἔξω τοῦ ὄνου* natum esse nescio an suspicer. **Amor. 13.** Narrat auctor se in templum venisse Veneris Cnidiae: *ἡ μὲν οὖν θεὸς ἐν μέσῳ καθίδρυται — Παρίας δὲ λίθου δαίδαλμα κάλλιστον — ὑπερήφανον καὶ σεσηρότι γέλωτι μικρὸν ὑπομειδιῶσα.* Cum feminina forma *ὑπομειδιῶσα* male congruit neutra forma *ὑπερήφανον.* Quam vocem etiam si adverbii loco ad verbum *καθίδρυται* relaturus esses, usus postularet, ut *ὑπερήφανος* potius adiectivum adhiberetur. Optime autem *ὑπερήφανον* coniungitur cum superlativo *κάλλιστον;* qua de causa *καὶ* ante *ὑπερήφανον* ponendum et utrumque intra parenthesin reiciendum censeo. **Alexandr. 30.** Homo Romanus superstitionis plenus negotia domestica omnia paene deseruit, ut Abonoteichum profectus Alexandri fraudulentum

oraculum visitaret. *ἔπεμπε δ' οὖν ἄλλους ἐπ' ἄλλους· οἱ δὲ πεμπόμενοι ἰδιῶταί τινες οἰκέται ῥᾳδίως ἐξαπατηθέντες ἐπανῄεσαν τὰ μὲν ἰδόντες, τὰ δὲ ὡς ἰδόντες καὶ ὡς ἀκούσαντες διηγούμενοι.* In hac codicum Guelf. F, Paris. M, Florent. Φ, Marc. 434 editionisque vulgatae lectione vitium latere nemo non videt; nam illud *ὡς ἀκούσαντες* quomodo interpretandum sit, non elucet. Madvigii (Adv. crit. I pg. 691) coniectura *ὡς ἰδόντες καὶ ἃ ἤκουσαν* nimis recedere videtur a traditis verbis; qua eadem causa, quod Fritzschius proponit, improbare cogor, cum post verba *τὰ μὲν ἰδόντες* excidisse statuat *καὶ ἀκούσαντες*. Verum servavisse arbitror codicem Marc. 436: *ὡς ἀκούσαντες καὶ ἰδόντες,* modo commutemus inter se voculas *ὡς* et *καὶ* et hanc voculam particulae *καίπερ* instar participio *ἀκούσαντες* additam esse nobis persuadeamus. Quem usum a Luciani genere dicendi non abhorrere complures loci demonstrant, ut Hermot. 74: *οὐκ ἐννοοῦντες, εἴ τι γένοιτ' ἂν ἀκόλουθον αὐτῷ καὶ ψεῦδος ὄν* (sic cum Fritzschio lego), Abdic. 2: *ἄχθομαι — — ἐπ' ἐμαυτῷ ἀπειθεῖν δοκοῦντι καὶ ἃ προστάττομαι ὑπουργεῖν οὐ δυναμένῳ,* Hercul. 1: *ἀλλὰ καὶ τοιοῦτος ὢν ἔχει ὅμως τὴν σκευὴν τὴν Ἡρακλέους,* De saltat. 83: *τὴν ἄνοιαν τῆς ὀρχήσεως ἐπικαλύπτοντες καὶ ἀκριβῶς ὁρῶντες* (hanc prioris editionis Sommerbrodtianae lectionem servaverim.) Probata autem nostra transpositione hanc habebis sententiam satis planam ac perspicuam: ‚Missi vero, qua erant servorum stultitia, facile decepti reverterunt alia conspicati, alia quamvis audita narrantes, quasi conspicati essent'.

IV.

Trium praecipue generum menda Luciani scriptis eximere adhuc conatus restat ut extrema disputationis meae particula locos aliquot enumerem, qui suo quisque vitio laborantes peculiari alii aliam expetunt medicinam.

Rhet. praec. 9. Duas docuit Lucianus patere vias eloquentiae operam navanti, praeruptam alteram, lapidosam, sudoris plenam (cp. 3. *τραχεῖα, ὄρειος, ἱδρῶτος μεστή* et cp. 7. *ἀτραπός ἐστι στενὴ καὶ ἀκανθώδης καὶ τραχεῖα, πολὺ τὸ δίψος*

ἐμφαίνουσα καὶ ἱδρῶτα) alteram latam, floridam, aqua abundantem (cp. 7. *πλατεῖα καὶ ἀνθηρὰ καὶ ἔνυδρος*). His et similibus praemissis Lucianus cum cap. 9. de magistro discipulum eloquentiae studiosum per difficilem illam arduamque viam educente haec dicat: *πόνον δὲ καὶ ἀγρυπνίαν καὶ ὑ δ α τ ο π ο σ ί α ν καὶ τὸ λιπαρὲς ἀναγκαῖα ταῦτα καὶ ἀπαραίτητα φήσει*, attingere vult et in memoriam revocare, quae supra de ipsa via exposuit. Iam vero unde tandem aquae potus suppeditatur in via illa lapidosa et ut ipsa Luciani verba repetam, *πολὺ τὸ δίψος ἐμφαινούσῃ*, cui opponitur *ἔνυδρος ὁδός*? Forsitan scripta fuerint duo verba *ὕ δ α τ ο ς ἀ π ο ρ ί α ν*, quae scribae lapsu haud difficile in unum illud abibant. Accedit, quod nomen *ὑδατοποσία* alio loco non invenitur.

Ib. 23. *καὶ μὴν καὶ πιττοῦσθαι χρὴ μάλιστα μὲν τὰ πάντα, εἰ δὲ μή, πάντως ἐ κ ε ῖ ν α*. Extremam vocem quoniam frustra quaeris, quo referas, corrige *τ ὰ γ έ ν ε ι α*.

Musc. encom. 5. ars muscae praedicatur araneam effugientis insidiantem: *λοχῶντά τε γὰρ ἐπιτηρεῖ καὶ ἀντίον αὐτῷ ὁ ρ ᾷ ἐκκλίνουσα τὴν ὁρμήν, ὡς μὴ ἁλίσκοιτο σαγηνευθεῖσα*. Fortasse restituendum *ὁ ρ μ ᾷ*: evolat declinans volando.

Pseudologist. cp. 10. initium dubito, an sic legam: *Ἐγὼ δὲ — δίκαιος ἂν εἴην κ α ὶ* (libri tradunt *τά*, quae vox in insequentibus versibus sexies posita hunc in locum falso illata est) *ἐκ τοῦ Δελφικοῦ τρίποδος λ έ γ ω ν* (pro tradito *λέγειν*), *οἷα* sqq., ut hunc sensum verba complectantur: Ego autem — meo quidem iure et ex tripode delphico (Schol: *ὡς κεκρυμμένα μέν, ἀληθῆ δέ*) iam eloquar, qualia commiseris. **Ib. 21.** Lucianus Timarcho: Alexandriae, inquit, quae commisisti flagitia, mehercule non minoris sunt aestimanda, quam quae Antiochiae abs te peracta sunt: *ἀλλ' ἥ τε ἀκολασία γυμνοτέρα καὶ ἡ αἰσχρουργία σοι ἐκεῖ* (sc. Antiochiae) *ἐ π ι μ α ν ε σ τ έ ρ α καὶ τοὔνομα ἐπὶ τούτοις μεῖζον καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἀκάλυπτος ἡ κεφαλή*. Improbitatem Timarchi Antiochiae insaniorem (*ἐπιμανεστέραν*) fuisse si hoc loco Lucianus scripsisset, ea ipsa irrita fierent, quae supra ei opprobravit (*ἀλλ' οὐκ ἐλάττω σοι ἡ Ἀλεξάνδρεια σύνοιδεν οὐδὲ μὰ Δία ἐχρῆν δευτέραν τῆς Ἀντιοχείας κεκρίσθαι αὐτήν*) At vero prorsus nihil interesse vult inter scelera Antiochiae

a Timarcho commissa et Alexandriae, quam quod illa aperte, haec secreto perpetravit. Quamobrem legendum *ἐπιφανεστέρα.*

Parasit. 49. parasitus sui generis hominum virtutes extollens: Qualem, inquit, exspectas bello fore parasitum? Nonne primum quidem bene pransus in aciem egreditur, quemadmodum Ulixes praecipit? *οὐ γὰρ ἀλλ' ὃν ἐν πολέμῳ μάχεσθαί φησιν ἑστιάσει καὶ εὐθὺς ἅμα ἕῳ μάχεσθαι δέοι.* Quae librorum verba si servaveris, aenigma tenebis, quod ad explicandum ne Oedipodi quidem satis fuerit calliditatis. Egregie Madvigius (Adv. crit. I pag. 698) ex verbis manifesto falsis *φησιν ἑστιάσει καί* refecit *φησι νηστίας εἰ καί* coll. Hom. Il. XIX v. 207; displicet autem, quo modo loci emendationem absolvere studeat initio sententiae coniectans: *οὐ γὰρ ἀντέχειν ἐν πολέμῳ* sublato priore infinitivo *μάχεσθαι;* nam quanto propius illa coniectura ad tradita verba accedit, eo longius haec recedit. Neque vero magis delector Herwerdenii coniectura, qui altera illa Madvigii (quem alias non inspexit) emendatione arrepta, initium enuntiati sic statuit: *οὐ γὰρ [κ]άμ[ατ]ον ἐν πολέμῳ ἀνέχεσθαί φησιν.* Mihi quidem in verbis *οὐ γὰρ ᾽ΑΛΛ᾽ ῞ΟΝ* Homericum illud latere videtur *οὐ γὰρ ᾽ΑΓΑΘΟΝ*, quod probata illa Madvigii coniectura hunc efficit sensum: Non enim commodum est, inquit, ieiunos pugnare, etiamsi simul cum luce pugnam incipere coguntur.

Luc. 25. Latrones de virgine cum asino effugere conata consiliantur. *Τί ποιῶμεν* (sic lego cum Cobeto), *ἔφη τις αὐτῶν, τὴν δραπέτιν; Τί δὲ ἄλλο, εἶπεν ἕτερος, ἢ τῇ γραΐ ταύτῃ κάτω ἐπιῤῥίψωμεν αὐτήν, ἀφελομένην μὲν* (haec vocula in cod. Gorl. deest) *ἡμᾶς χρήματα πολλὰ ὅσον ἐπ' αὐτῇ καὶ προδοῦσαν ἡμῖν ὅλον τὸ ἐργαστήριον;* Participiorum *ἀφελομένην* et *προδοῦσαν* sensus est hypotheticus addita condicione *ὅσον ἐπ' αὐτῇ*: ,quae, quantum per ipsam stetit, opes multas nobis eripuisset totamque officinam nostram prodidisset.' Malim igitur *ἀφελομένην ἄν.*

Pro imagin. 13. Duo, inquit Polystratus, simul incedentes, procera alter alter exigua statura, si aequandi sint, ut neuter corporis magnitudine emineat, id minime fiat minorem extendendo *κἂν ὅτι μάλιστα ἀκροποδητὶ ἐπεγείρῃ ἑαυτόν.* Pro

ἐπεγείρῃ substituere non dubito verbum Luciano usitatissimum ἐπαίρῃ, unde socordia scribentis prima syllaba bis posita illud verbum prodiit sensu carens.

Sunt loci, quibus librarii vitia invexerint adiectivorum gradus temere commutando. Ut Fritzschius Hermot. 29. superlativum ἀσφαλέστατον cedere iubet comparativo ἀσφαλέστερον, hoc vitium frequens appellans, et Philopseud. 25. ex uno Graeviano cod. V superlativum σφοδρότατος pro comparativo perverso assumit, et Prometh. in verb. 3. quod libri tradunt, εὐφημότατον in εὐφημότερον corrigit. Pari autem ratione Cobetus (Var. Lect. pag. 162) Bis accus. 11. pro comparativis formis μεγαλοφωνότερος — θρασύτερος — ὕστερος superlativas refici vult, id quod verum esse Fritzschius in adnotatione affirmat, quamquam nescio qua causa in textu ipse non ponit. Quae emendationes viam indicant hos duos locos sanandi. **Saturn. 32.** de conviviis cum legamus: τὸ γοῦν ἥδιστον καὶ συμποτικώτερον ἡ ἰσοτιμία ἐστίν, quis est quin συμποτικώτατον vindicet Luciano? **Necyom. 21.** Tiresias interrogatus, qualis vita optima sit existimanda, ut vulgo legimus, sic respondet: ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος καὶ σωφρονέστερος ὡς τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν — — τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ ὅπως sqq. Immo scripsit Lucianus σωφρονέστατος ᾧ, cuius lectionis vestigii aliquid restitit in Augustano cod. O: βίος ᾧς τῆς (ceteris omissis). Interpretes autem in comparativa forma σωφρονέστερος antiquitus haesisse, quae, ut Fritzschii verbis utar, inepte iungitur cum superlativa ἄριστος, inde elucet, quod in codicibus aliis (Vindob. B, Guelf. G, August. O) omnino desideratur, cum alii (Marc. 434 et Florent. Φ) omissis ὡς τῆς ἀφροσύνης exhibeant: βίος καὶ σωφρονέστερος παυσάμενος sqq. Ad Fritzschii coniecturam quod pertinet, qui graviore interpunctione post βίος inserta corrigit: καὶ σωφρονέστερος ἔσῃ εἰ sqq., sententiae non bene coniunctae videntur; nam pro καί exspectes γάρ. Bekkerus autem Cobetusque (Var. Lect. pag. 144) nimiam vim inferunt traditae scripturae, cum oppressis verbis καὶ σωφρονέστερος pergant: ὥστε — θήρασαι.

Deor. concil. 2. Momus minorum gentium deos com-

plusculos eo non contentos esse indignatus, quod ipsi quamvis in terris nati in deorum sodalitatem escenderint, sic pergit: *ἀλλ' εἰ μὴ καὶ τοὺς ἀκολούθους καὶ θεράποντας αὐτῶν ἰσοτίμους ἡμῖν ἀποφανοῦσιν, οὐδὲν μέγα οὐδὲ νεανικὸν οἴονται εἰργάσθαι.* Vox *νεανικόν* quo modo interpretanda sit, frustra quaeris: sensu vacua est. Cuius primam syllabam corruptam esse contendo ex particula *γε*. Quo facto litterae vocis *ἱκανόν* a scribario ita permutabantur, ut cum depravata illa syllaba in unum coirent vitiosum *νεανικόν*. Quam emendationem si probaveris, hanc habebis sententiam graece expressam: ,Sed nisi satellites suos comitesque nostrum in ordinem rettulerint, nil magni ac ne satis quidem se fecisse putabunt.' Eodem autem modo *οὐδέ γε* usurpatur a scriptore nostro Alex. 14: *τὸν ἀρτιγέννητον Ἀσκληπιὸν — οὐκ ἐκ Κορωνίδος μὰ Δί' οὐδέ γε κορώνης, ἀλλ' ἐκ χηνὸς γεγεννημένον.*

Pro laps. 2. legimus: *τὸ μὲν δὴ χαίρειν ἀρχαία μὲν ἡ προσαγόρευσις, οὐ μὴν ἑωθίνη μόνον οὐδὲ ὑπὸ τὴν πρώτην ἔντευξιν, ἀλλὰ καὶ πρῶτον μὲν ἰδόντες πρὸς ἀλλήλους ἔλεγον αὐτό.* Quid intersit inter primum congressum *(πρώτη ἔντευξις)* et primum conspectum *(πρῶτον ἰδόντες)*, nescio. Dilucida autem fiet sententia, si *ΠΡΩΤΗΝ* mutaverimus in *ΠΡΩΙΑΝ*, collato Amor. 39: *πρωΐας ὥρας*. Earundem litterarum permutatio **De dea Syr. 28.** phallos ante templum Hieropolitanum exstructos ad sidera usque eduxit. Ubi legimus: *ἐν τούτοισι τοῖσι προπυλαίοισι καὶ οἱ φαλλοὶ ἑστᾶσι, τοὺς Διόνυσος ἐστήσατο, ἡλικίην καὶ οἵδε τριηκοσίων ὀργυιέων.* Quem numerum absurdum esse nemo non videt. Qua de causa Guyetus aliique correxerunt *τριάκοντα;* quo sane multo minor apparet phallorum altitudo, sed nondum verisimilis. Ex *ι' ὀργυιέων*, opinor, scribarum neglegentia ortum est *τ' ὀργυιέων*. Nec minima profecto apparet sexaginta pedum altitudo.

Apolog. 6. Fritzschius ad verba *προπετῶς μὲν θρασυνάμενος πρὸς τὰς ἀνθρώπων χρείας* adnotat: *sententiae causa suppleo*: *πρὸς τὰς πενήτων ἀνθρώπων χρείας.* Coll. autem De merc. cond. 5: *οἱ μὲν δὴ πολλοὶ τὴν πενίαν καὶ τὴν τῶν ἀναγκαίων χρείαν προθέμενοι*, et ib. 7: *οὐχ ἡ τῶν*

ἀναγκαίων χρεία, nescio an nostro quoque loco pro *ἀνθρώπων* olim scriptum fuerit *ἀναγκαίων*.

Hermotim. 9. Lucianus se subsecutum esse *(παρειπόμην)* dicit Hermotimum narrantem et fidem ei habuisse *(ἐπίστευον οὕτως ἔχειν)* explicanti sapientes fieri homines philosophantes et iustos et quae alia sunt huiusce modi, ac vel maxime se delectatum esse ea narratione. Cum autem, inquit, contenderes divitias eosdem aspernari nec maerore affici, *πάνυ ἐνταῦθα* — *ἐπέστην ἀναμνησθείς, ἃ πρῴην εἶδον ποιοῦντα* sqq. Pro vulgato *ἐπέστην* (quod in codd. Witt. E, Marc. 434, Vind. H legitur *ἔπεστιν*) legendum esse censet Fritzschius *ἠπίστουν*, quod verbum solum recte opponi possit superioribus *ἐπίστευον οὕτως ἔχειν*. At propius abest a traditis litteris verbum *ἀπέστην*, quod superiori *παρειπόμην* bene opponitur.

Corrigenda:

pg. 2. adnot. v. 8. lege: erit — pro: erit.
pg. 3. adn. v. 32. lege: *εἶναι* pro: *εἴναι*.
pg. 8. v. 14. lege: dittographia pro: Dittographia.
pg. 14. v. 3. lege: *πρόσωπον αὐτοῦ* pro: *πρόσωπο ναὐταῦ*.
pg. 14. adn. v. 5. lege: codices Florent. et Paris. M et Marciani pro: soli codices Florent et Paris. 11.

Index.

		pg.
Abdicatus	4	6
Alexander s. pseudomantis	5	9
	30	21
	40	13
Amores	13	21
	18	13
	22	6
	47	13
Anacharsis s. de gymnasiis	6	8
	30	12
	34	11
Apologia pro mercede conductis	6	26
Charidemus	6	18
	9	12
	13	8
	15	8
Charon s. contemplantes	4	7
	6	10
Convivium s. Lapithae	9	7
	16	7
	32	7
Cynicus	14	8
De calumnia	6	6
De dea Syria	28	26
Demonax	17	5
De mercede conductis	15	11
De morte Peregini	43	13
Deorum concilium	2	25
De sacrificiis	5	7
De saltatione	11	5
De saltatione	37	5
	63	5
	73	16
Dialogi deorum	IV 4	10
	XXV 1	19
Dialogi marini	VIII 1	17
	VIII 2	18
Dialogi meretricii	II 1	14
	XIII 1	13
Dialogi mortuorum	X 12	15
	XI 2	12
	XIII 3	12
Gallus s. somnium	26	6
Harmonides	3	11
Hermotimus s. de sectis	9	27
	39	14
	55	14
Herodotus s. Aetion	1	11
	2	8
	8	6
Icaromenippus	2	18
Imagines	6	6
	6	13
	15	19
Iupiter tragoedus	23	8
	28	9
	36	9
Lucius s. asinus	1	17
	6	6
	25	24
	25	21

	pg.
Muscae encomium 5	23
Navigium s. vota 3	7
40	6
41	14
44	14
44	11
Necyomantia s. Menippus 21	25
Nigrinus 3	5
Ocypus v. 140	16
Parasitus 12	20
43	12
49	24
51	19
Patriae encomium 2	14
6	10
Philopatris 3	14
14	14
Philopseudes s. incredulus 4	5
19	14
Pro imaginibus 13	24
20	12
25	14
Pro lapsu inter salutandum 2	26
5	13
Prometheus es in verbis 4	5
Pseudologista s. de apophrade 2	12
10	23
Rhetorum praeceptor 8	10
9	22
23	23
Saturnalia 18	8
24	10
32	25
33	11
Scytha s. hospes 2	7
3	15
4	14
10	7
Timon 29	11
Toxaris s. amicitia 17	5
38	8
Tyrannicida 1	11
Verae historiae I 7	15
I 28	6
I 35	9
II 27	14



